


ANN. XVII - FASC. II

MENSE FEBRUARIO MCMXXX

# ALMA ROMA



QVID QVID NON  
POSSIDET ARMIS  
RELLIGIONE  
TENET

C. DEL VECCHIO.



SINGULIS MENSIBUS EDITUR TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

## Pro "ALMAE ROMAE," Sociis

nuperrime prodiit JOSEPHI FORNARI

### PARVUM ANTIBARBARUM

Volumen, cui praefatus est FELIX RAMORINO, constans pagg. 103, editione portatu facilis, venit italic. libell. 8.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venum dantur eiusdem auctoris Milesiae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea facile agendis:

### Fridianus-Francisculi prandium.

Singulae pretio italic. libell. 2.

(*Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integralm ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXVIII, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellarium 375 pro Italia; pretium duplicatum, libell. italic. scilicet 750, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngraphan (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XVII

Romae, Mense Februario MCMXXX

Fasc. II

# ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium subnotationis an. MCMXXX est pro Italia libell. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; *ante sollevidum rectoque tramite mittendum* ad Iosephum FORNARI doctorem, *Roman, 12, Via del Governo Vecchio, 96.*

PIO XI P. M.

OCTAVUM A SUSCEPTO SACRO PRINCIPATU ANNUM  
AUSPICANTI  
POST DECIMUM A SACERDOTIO LUSTRUM  
FELICITER CONDITUM

ALCAICON.

*Deicta tandem culmina montium  
iam septa dumis tergaque collium  
praerupta, vallum et profunda  
aequa patent reparata iure.*

*Hinc hydra virus fundere desinet,  
frustra leones dentibus infrement,  
frustra luporum stirps repulsa  
insidias ovibus retexet.*

*Non semper ingens impetus hostium,  
plerumque cedunt arma potentium,  
et vertit in luctum triumphus,  
sceptra cadunt resoluta regum.*

*Arx una perstat saecula per omnia,  
per bella, caedes, firmior evenit,  
experta devicit tumultus  
assiduos rapidosque motus;*

*hinc quaelibet vis fracta repellitur,  
fortes revolvunt terga minantia,  
adversus ipsam nec potentes  
Tartareae valuere Portae;*

*est arbor altis insita montibus,  
durata radix in nova tempora,  
nec flabra convellunt nec imbre  
concutiunt folium ruentis,*

*est acta navis remige caelico  
ductu Superni Flaminis afferens  
panem salutis quo fideles  
accipiant alimenta vitae,*

*quam nauta prudens Undecimus Pius  
constans iniquum per mare dirigit  
et dicit in portum secunda  
alite continuoque cursu.*

*Iam volvit aetas septima prospere,  
ex quo Pio sunt munera Clavum  
comissa, sunt tricæ et solutæ,  
Sponsa quibus fuit arta Christi.*

*Venisse reges, agmina principum  
cuiusque gentis vidimus undique  
protecta Sacram ad Patris Almi  
strata pedes properasse Romam;  
sacra nuper vidimus addita  
choris beatis agmina Martyrum,  
ut acta Sanctorum secuti  
aethereas mereamur aedes.*

*Nunc perge gaudens, Optime Pontifex,  
oblata Patri Te foveat Hostia  
Divina, quam mensae repostam  
lustra decem peragens litasti,  
quae Te ipsa ducet rebus in asperis  
ceu stella praesens sole micantior,  
qua luce decurras laborem  
atque novos referas triumphos.*

IOSUE CACACE.  
Presbyter Neapolitanus.

### De liberalium artium officio

Nemo in dubium revocabit, liberales artes humanorum operum laborumque partes esse eximias, quarum proinde fructus, uti fit de ceteris quae homines parant ac struunt, e praecipuis civitatum conditionibus vel necessitatibus scatent. Verum, natura quadam sua, eae, praeter consuetae vitae rationem, ad altiora intendunt, propriumque quodammodo habent munus. Id profecto est, ut quamvis historiam vel memorias actumve tempus recolant, aut hodierna querantur aut vituperent, futuris tamen eventibus, aperto sive abdito moni-

mento, maxime prospiciant, atque ad nova fata assequenda civium animos incitent.

Quare, si quae quandoque constituantur ab artificibus scholæ, quarum nil praeluceat conatibus, nisi ut oblectamento sua opera sint, exquisiteque ludendo exiguo selectoque manipulo ditiorique inserviant, hi venenato tamquam e fonte hauriunt sibi aquas, seseque ipso sub ortu immitti fato devoutent.

Contigisse haec non semel iam docuit historia, sed recentiores anni, dum effunduntur magisma gisque litterae, artiumque profertur ambitus, perspicue magis talia monuerunt.

Inde saeculo decimo septimo volvente turgidorum scriptorum inania certamina; inde Arcadum vacui sonitus lususque pueriles; inde, oriente decimonono saeculo, parata brevi *classicorum* ordini funera, qui ut Napoleonidum superbiae adularentur, mutuantes ex Augusti saeculo vestes, inutilia passim, licet splendida saepe et comptissima, fundebant carmina; inde pariter, restituta mox, Europæ quiete, neo-classici idem fatum experti, quorum eruditissima sane atque miro stilo condita opera legentes, intelligentes pauciores adepta sunt; inde tertio contigit novissimo agmini, cui placuit a *symbolo* aut a *decadentia* sese appellare, extremo hoc nomine sibi tributo aptissime; siquidem rati selectissimum quoddam se constituere per humanum genus omne sacerdotium, exquisitissimis formulis eam considerunt artem, ut quidquid pulcherrimum esset ignotum aut impervium plurimis, ipsi elicerent, cuderent, expolirent, permulcerent, eoque solitario gaudio beati, ceteros per tenebrarum crassitudinem vagantes non tam misererentur, quam et despicerent potius, et negligerent. His itaque etiam decreta fato mors, eorumque opera, decadentibus paullatim novae Isidis cultoribus, in bibliothecis aliquantulum renident prium, dein oblivious obruuntur.

Est enim longe aliunde operum ingenuarum eruenda medulla, ut diu florent, vivant, ut auctoris nomen indeleble tradant. Quam praestare debent aut praesens historiae condicio, aut suae civitatis communia gaudia vel vota, vel maxima quaeque gesta aut incrementa, aut melius aequalium abditi forte moerores, inconditiluctus, aut non revelati animorum angores, unde iis quae quisque calamo aut scalpro elicuerit, omnes statim, qui viderint, qui legerint unanimi afflatus consentiant. Tolstoi ille Russus, sagax quidem philosophus non minus quam peritissimus scriptor, de natura liberalium artium disserens, haec probe animadvertisit ex earum intima indole esse; haec nemo impune negliget, qui Carmen aut drama, statuam vel musicen undique bonam, pulcram, veram effingere voluerit.

A. C.

### IOANNES BAPTISTA FRANCESIA

Duo vitae exitus animum maxime tangunt nostrum; quum atra mors homines in ipso iuventutis flore secat, simulque quum in ipsa senectute deicit, dum his ita assuevimus, ut vita sempiterna fruituros eos nobis effinxerimus; eoque magis si validos ac firmos, mente atque spiritu praestantes nunquam non deprehenderimus.

In his Ioannes Baptista Francesia.

Prae oculis hodie etiam habemus, quum paucis abhinc mensibus nonagenario maior fere improvisus Augusta Taurinorum Romanum advenit, ut sollemnibus adisset, quibus Beatorum corona a Christiana Eccle-

sia honestaretur Ioannes ille Bosco, quem Patrem iure appellare poterat, non solum quia eius religiosæ familiae a pueris sese addixerat, sed ob diuturnam atque individuam vitae consuetudinem, quacum deinde ei fuit adstrictus. Eum in adventu recepimus, in Salesianorum domum comitati sumus, adfuiimus triumphali ex tempore facta acceptance ei, qui unus ex antiquissima acie a Ioanne Bosco collecta, veteranus miles supererat; in auribus habemus verba quae hilari vultu, uti solitus erat, ovanti illi molitudini, adolescentium praesertim, direxit, gratiae, leporis, iucunditatis plena, quibus finem imposuit, vocem suam ut excusaret, quod fortasse usque ad ingentis cavaedii illius limina non perveniret, antiquae cantilene apud Italos notissimae intercalares versus repetens: « Parvi nunc sumus, sed adolescemos! »

Utique Ioannes Francesia videbatur cursum vitae etiam tum per multos annos absolvere debere! Brevi corporis magnitudine et aspectu gracili, vocem graviter sonantem servabat, et oculos pone speculatoria vitra acriter curiosos, ingenii acuminis indices, quod nihil per senectutem perdidit, immo dixeris subtilius in dies factum. Quid eius firmam ac tenacissimam memoriam revocem, per quam longinquos vel minimos eventus recordabatur, praecise dies, horas, circumstantiasque singulas proferens? Mirificum quoddam apparebat, suspensisque auribus adstantes tenebat, eoque magis quod oratio, sine ulla haesitatione aut cunctatione fulgida et quasi crepitans decurreret. In memoratis supra diebus, in quibus Romæ permanxit, eique saepissime adfuiimus, vidimus seriem prope innumerabilem sodalium, discipulorum quasi certantium ut eum reviserent, salutarent, eique gratularentur: ille omnes primo obtutu internoscet, omnes suo nomine appellabat. Omnes?... In eius conspectum venit sacerdos iam aetate proiectus, qui eius manum deosculans: « O mi-

magister, — inquit — sint Deo grates, quod ante meam mortem in conspectum tuum redire semel tandem mihi datum fuerit! Cui noster sedulo intutus: — « Atqui candide fateor, te menti meae insignem non esse ». Alter nomen suum declaravit. — « Aedepol! — exclamavit noster — satis senex factus est. Puerulus eras, quam anno millesimo octingentesimo sexagesimo secundo ad collegium — (idque nominavit) — te patruelis quidam tuus deduxit! Et contumax puer esse debebas, si deductor ille tuus, quem conclave, in plano aedium sede ubi te accepimus, fenestrae clatratis vacuae essent, valde timuit ne inde effugeret. Tu vix quindecim menses collegii alumnus permanisti, deinde domum reversus es, neque tui ullam deinde notitiam praebuisti: non equidem putabam me tibi sacerdoti post tot annos occursum, profecto multis meritis pro animarum salute onusto ». Obstupescere illum, neque minus nos: Ioannes pulcrum quidem hostimentum susceperebat!

Ita suae mentis apprime compotem atque singulari spiritus vi praeditum eum invenimus quum Augustae Taurinorum, die secunda superioris mensis Octobris, — postremum heu! — salutavimus:

— Quomodo vales, Francesia noster?  
— Libenter optume!

— Nonne ex ultimo itinere tuo Romam suscepto, nimiam fatigationem deduxisti?

— Imo novum vigorem, quo hodie, favente Deo, secundum supra nonagesimum annum sum ingressus.

— Mihi gaudeo, quod sorte contigerit hodie utique te adisse, ut scilicet tibi gratulater omenque proferrem tibi in aevum feliciter.

— Usque dum Omnipotens servorum huius ultimi vitam in terris voluerit...

— Eamque prosperam, quemadmodum percipio, et alacrem semper et operosisimam.

— Alacris et operosa esset equidem

magis, nisi qua tenor obedientia prohiberet. « Superiores » enim, nimis forte de me studiosi, tamquam in vitro armario me concluserunt.

— Itaque non amplius diluculum te invenit sacra litans in proximo Mariae Auxiliatricis templo?

— Nisi in templi, in proxima hac cella me identidem invenit.

— Atque tribunal tuum admissis expiandis, in quo tot horas transigebas?...

— Semel in mense apud Sanctimoniales translatum, ad quas intra vitreas automobilis currus parietes adducor.

— Quomodo igitur tempus tuum nunc teris?

— Scribo, morem gerens multis, qui carmina, articulos omnis generis, titulos a me indesinenter petunt. Ad rem, lege, quaequo, has inscriptiones, quas hodierna ipsa die ad me perpoliendas miserunt. Perpoliendas?... Imo ab integro reficiendas!... Ah! Quonam se abdidit titulorum componendorum ars?...

Hic pallidulus et quasi cereus vultus purpurascit, micant oculi, plenior sit vox et quasi fatídica, dum notat, reprehendit, carpit, exagitat infelices illas inscriptiones, Vallaurium testem appellans. Namque duos auctóres in medium semper ferebat noster: quum de vita, institutis, moribus ageretur, Ioannem Bosco; quum de litteris, latinis praesertim, sermo esset, Thomam Vallaurium; hos filiali obsequio colebat, a quibus sua vita esset informata, ad pietatem scilicet atque humanitatis studia.

Atqui discipulus utrisque honori fuit: patrem illum legiferum sequutus, eiusque dicta, facta perscrutatus et retinens, vitae sanctitatem penitus didicit et ad extremum usque candide, integre ac, veluti a pueris nunquam excessisset, custodit; Taurinensis athenaei magistrum admiratus, eius doctrinæ praeceptisque se devovit, et praeclaram suam indolem ad dicendum studiis expolivit, perfecit, facilita-

temque ac facundiam illam acquisivit, quae apud suos quasi in proverbii consuetudinem cessit. Nemo fere Italorum et etiam Latinorum scriptorum, nec unius aureae aetatis, fuit, quem Ioannes Baptista Francesia non illustraverit, aut non sit interpretatus, in usum praesertim tironum; nullum littoralium argumentum, quod aliquo modo non tetigerit; quemadmodum nullus fuit eventus, domesticus praesertim, quem fluida poësi non cecinerit. Omnes non frustra eum exspectabant sinu trahentem chartulam, in qua carmen suum scripserit; et quia exiguis litterulis scribebat, chartae frustulum octonas, hexastichas, tristichas strophas innumeratas continebat, quae ex eius mente, veluti a limpido uberrimo fonte, manabant. Quum, superiore anno, Romanum venit, eminentissimo Purpurato Patri Augusto Hlond, qui pariter ilis diebus Urbem petierat, non quidem ferrivia, sed aëroplano, atque ad eum festive accedebat: — « Audivi — inquit — te singulari profecto ratione huc advenisse ». Cui alter: « Ea utique, quae brevi tuo carmine — (Italice dicimus sonetto) — sit digna ». — « Quinimo poëmate » — subdidit Francesia. Reapse, postridie poëmatum fuerat compositum! Quid? Paucos ante dies quam vita fungeretur, nempe in festo S. Ioannis Evangelistae, ad mensam a Sodalibus suis,

qui Augustae Taurinorum domum sancto eidem dicatam habent, invitatus, a more suo minime abscessit, quumque feria sexta esset, ab eadem et a piscatoria S. Ioannis prima arte argumentum sumens, abstinentiae laudes italicis versibus persecutus est. Iure equidem hanc virtutem celebrare poterat, quem in victu cum aviculis contendere non immrito affirmaveris!

Sed a Thoma Vallaurio, uti diximus, latinitatis amorem maxime elicuit; quumque sibi persuasum fuisse rerum omnium magistrum esse usum, summi illius praeceptoris vestigis insistens, historias primum, deinde acroases, commentaria, interpretationes latinis litteris tradidit, non de ethnici tantum scriptoribus, sed et de Christianis, in sanguino.

rum enim studium amplissime incubuit, omnesque in succum et sanguinem suum ita convertit, ut, de quavis re scriberet, sponte, ac plerumque ne persentient quidem, integras eorum phrases, saepiusque versus referret, aut, paucis mutatis, ad suum sensum deduceret. Ita factum est ut, eius scriptis qui assueverit, ea, vel tecto nomine edita, facile a quo prolata fuerint deprehendant. Atque etiam factum, ut non Ciceroniana tantum eius esset oratio: verba enim, unde cogitationi suae magis responderent hauziebat; stylus tamen, simplex item et gracilis, profluens et fusus, singulari politura



IOANNES BAPTISTA FRANCESIA.

refulget, naturali, non quae sita, neque calamistris inusta. Ceterum, etsi vellet, limam adhibere nequirit: tanta erat rerum copia, quae ex eius mente scaturiebat, ut quem scribebat - scribebat autem stans, ocularibusque myopis vitris depositis - calamus vix cogitatis serviret; quod igitur potuerit in lituris immorari, imo scripta sua relegere, quae sciebat ipsis cogitatis optime respondere? Id interdum uni vel alteri amicorum blande, liberaliter commendabat, quorum animadversiones libentissimo animo, et quasi sinu atque complexu, humilitate summa recipiebat. Tum solum foliola foliolis addere desinebat, notationes perpendens; notationes, inquam; nemo enim in magistri opus manus applicare unquam esset ausus.

Quid denique eius erga nos et commentarium nostrum dilectionem commemorabimus? Quum de eo condendo dubitaremus, ne impares oneri serendo pluribus de causis essemus, ipse animum nostrum erexit, confirmavit, auctorque maxime fuit, ut consilium sine mora iniremus, nobis promittens operam suam singulis fasciculis non defuturam; promissisque religiose stetit, fidemque ita servavit, ut cuiusque mensis idibus eius scripta - et quam multa, et quam varia! - a publico cursu sedulo, per annos sexdecim, nobis tradita fuerint. Ea superiore Ianuario mense consueta die et proxime insequentibus frustra expectavimus, et in eo eramus ut insoliti eventus rationes per litteras quaereremus, quum a diariis Ioannis nostri mortem edocti sumus. Atvero a sodali quodam suo hisce diebus accepimus, eum morti iam proximum, a pulmonum distillatione prope enectum, auditum anxie mussitare: *Alma Roma!... Bonetti!...* Scilicet efflagitabat, ut ad nos reliqua mitterentur, quae de Ioannis Bonetti vita, pro nobis, antequam morbus eum lecto cogeret, comparaverat.

O virum projecto unicum!  
Placide, Deo confitus et beato Patri suo,  
pro quo, animam agens, salutationes referendas a circumstantibus, cotidiano candore suo, requirebat, huius vitae cursum cum aeternae commutavit die xvii Ianuarii mensis nuper elapsi. Eius corpus, sacerdotalibus vestibus indutum, in illud S. Francisci oratorium delatum est, quod primum Salesianae familiae fuit, precesque exceptit Ioannis Bosco et nostri tunc adolescentis, qui praeterea lapides ad illud construendum suis manibus contulerat.

Francesia illic in feretro composito, narrant quendam Salesianorum antistitem, quum eum aspiceret iunctis manibus, capite leniter inclinato, clausis oculis, subridenti adhuc ore, quemadmodum totum in supplicationibus ibidem toties fuerat admiratus, facere non potuisse quin ad eius aures appropinquaret exclamans: « Ioannes, ora pro nobis! » non quia, mors quum immutatum placidum illum vultum reliquisset, sodalem adhuc in vivis menti sue effingeret; verum quod pro certo haberet, qui humiliis obedientiae miraculum evaserat, eum subiectum et obnoxium aliorum mandatis sese etiam post mortem praebiturum.

Liceat et nobis iisdem verbis Ioanni Baptistae Francesiae nostro vale dicere extremum!

I. F.

Usibus edocto si quicquam credis amico,  
Vive tibi, et longe nomina magna fuge.  
Vive tibi, quantumque potes praelustria vita;  
Saevum praelustri fulmen ab arce venit.  
Effugit hybernas demissa antenna procellas,  
Lataque plus parvis vela timoris habent.  
Aspicis, ut summa cortex levis innat unda;  
Cum grave nexa simul retia mergat onus?

OVID., Trist., III, 4.

### DE IOANNE BONETTI<sup>1</sup>

Haec vero longa rerum vicissitudo atque abundantia, mira equidem pulchritudine descripta, quum per singulos quoque menses evulgaretur, avidius ab omnibus in dies exspectabatur. Aperte hic animus Patris ostenditur, qui conscius sibi rectique divinaeque voluntatis, vel in ipsis molestiis et periculis placidissime conquescebat. Et naturalis scribendi ratio, veritatis imago, omnibus late adprobabatur, atque in affectata stili simplicitas commendabatur, qua fiebat ut scripta ex auctoris ingenio nullo prorsus labore profluxisse viderentur. E contrario, saepe nostrum dicentem audivisse memini: « Quoties Pater opus meum perlegere consuevit, notare, mutare, et saepe ab integro demere. Quum paucula remanerent a me exarata, subridens: Vade, dicebat, describe et redi. Nunquam honestus ille et correctissimus scriptor, limae laboris amantisimus, rei mei contentus videbatur. Patera enim eius patientia, atque in corrigendis severitas mihi persuasit dictionis elegantiam verborumque puritatem haud posse quemquam acquirere, nisi longo improboque labore ».

At Ioannes Bonetti inscribere etiam tum coepit primos Patris casus, quos in pueris colligendis sancteque instituendis immensos sustulit, a principio usque ad occupationem regionis, quam dixi *Valdocco* appellatam. Quam bene! Quam iucunde haec omnia persequutus est!

Si enim auctor diligens veterum monumentorum apparuit, omnium simul expolitissimum et perfectissimum opus exhibuit. Mirus enim in ipso ordo eluet;

<sup>1</sup> Cfr. fasc. mens. Decembr. MCXXXIX. - Scriptum hoc Ioannis Baptistae Francesiae postremum fuit: paucis ante mortem diebus exaravit, atque post eius funus ad nos pervenit!

maxima in Patris incursionibus tradendis diligentia; picturae viridiores opportune positae, dictio laeta, florida et saepe poetica, qua res vel humiliores splendorem concipere viderentur. Quotquot miserrima Pater est passus, perversa hominum opinione, ob oculos graphicè posuit, a quibus Deus tam mirabiliter eum eripuit.<sup>1</sup>

Quum ei tempus adhuc esset, ad sacri ministerii opera, qua pars erat pietate ac diligentia, assidue se conferebat. Prae ceteris, eius potissimum manu et consilio, Cherii religiosae filiae a Maria Virgine Adiutrice appellatae, atque a Patre nuper institutae, sacellum aperuerunt et amplias sedes cum hortis, ut diebus festis in disciplinam et ad diversandum convenienter puellae, quae profestis assiduo opere distinerentur. Moribus tutandis saepenumero in eorum commodum consumpsit praeclera pietatis opera, quae lectorum cum voluntate semel atque iterum evulgabantur. Honoris causa hinc recolenda esse putamus commentarium italicè inscriptum: *La rosa del Carmelo*, in quo vitam S. Theresiae a Iesu exaravit, atque: *Il giardino degli Eletti*, scilicet cogitata de S. Corde Iesu.

Acerrimus catholicae professionis vindex, turbulentissimi Christiani Nominis tempestibus, Patris exemplum sequutus, data opportunitate, complura volumina conscripsit, ut fidem ab iniustis criminationibus vindicaret, calumniantium perfidiā fortiter retunderet. Ut bonus miles Christi, religionis et sacri principatus iura libero ore defendebat, et rerum novarum cupidis patriaeque perniciem molientibus audacter obstitit. Omnes eius virtutem admirati, varium ingenium laudabamus et doctrinam, quod nulla interposita mora

<sup>1</sup> Hanc rerum priorum narrationem iterum evulgaturum mors intercepit. Ipse ego edendam curavi sub titulo: *I primi cinque lustri dell'Oratorio di S. Francesco di Sales*, quum sollemni pompa quinquagesimum sacerdotii Patris operumque celebrare voluissimus.

contra adversarios in aciem promptissime armis procedebat.

Apud Subalpinos magna equidem devotione colitur Beata Catharina a Racconio, quam rectius fortasse a Caramania diceret, tum ob longam ibi positam sedem, tum ob cultum quo cives gloriosam hospitem antiquitus prosequuntur. Municipes Caramaniae hanc in primis suam confidenter appellant, et maxima pietate venerantur precibusque ambiant. Ut igitur tantae patronae cultus semper in suis recens remaneat, atque ipsa Beata volens propitia totam familiam Nominis suo devotam praesenti sospitet ope, opellam de eius vita conscribit, tam bene ac tam religiose, ut nihil supra.

Hoc tempore — horresco referens! — Augustae Taurinorum, bonorum sane moerore atque indignatione, in religionis contemptum atque in ipsum Augustissimum Iesu Christi Nomen, probrosum diarium effundebatur. Noster, re atque auctoritate, multis editis libris, acerrime Iesum Christum maioribus laudibus honestari dignissimum proclamavit, civium decorem vindicavit corumque animos, nullo periculo deterritus, excitavit, ut Christianum Nomen sollemniter confitentes a calumniantibus instaurarent. Ita bonorum acerbitatatem lenire studuit, civium religionem confirmavit, atque invicta fortitudine hostium audaciam fregit. Ad haec, sacris concionibus ad populum atque ad fratres assiduus, disertus pugnax, per omnium temporum vices omnibus adprobatisimus, mentes tenebat, pectusque pervadere, voluntates quo vellet impellere consuevit.

Vir consilii prudens, morumque integer, ad severam agendi rationem sapienter animos rexit, in difficultatibus adiuvit, parem se gerere in prosperis rebus et adversis mirum in modum docuit. Denique quum magister sacrarum rerum supremus apud nos fuisset designatus, curam

quoque est assequutus spiritualem Religiosarum puellarum, quibus est nomen a Maria Auxiliatrice. Mirum sane est quam apta institutione eas ad virtutem excoluit, omnibusque praelarum se praestitit magnarum virtutum. Aequabilitatem in omni vita sequutus, patris dulcedinem et magistrorum dignitatem miscere valuit. Utinam aliquantis per a continuis laboribus abstinisset! At sui securus, valetudinem nihil curans, praesertim egregie incubuit, ut Filias Deo devotas in religionis spem succrescentes, sanctiori disciplina institeret, et cultum in omnibus erga Virginem Matrem impense soveret. Eas ad exemplar prioris vitae, pietate, doctrina insignes optime in bonis animatas effinxit.

Aegrotantes peculiari modo prosequi in deliciis habuit, eosque vel intempesta nocte invisens, adspectu, alloquio spem in ipsis reducebat atque adaugebat animum.

Quae mira in familia regunda providentia atque sedulitas!

Integra adhuc aetate, quum civili sapientia et rerum usu praestantissimus habitus, magnam de se fiduciam in aevum daret, improviso morbo tentatus, moerorem sui acerbissimum in omnes intulit.

Sanctissimis religionibus rite ac saepe perfunctus, quum meliusculus esse capitur, quumque nostrum iterum futurum esse credidissemus, celerius omnium opinione in fratrum complexu finem vitae placide aspicere potuit. Iam paene moriens suis praecepta salutis reliquit, et vim morbi christiana constantia ad extremum tempus perpessus est. In eius obitu utraque Salesianorum familia ingemuit, quia in ipso amisit amicum, fratrem, magistrum.

Nos omnes eius scripta et sermones, in animis nostris aeternum mansura, identidem memorabimus. Vivit enim vivetque semper atque etiam latius memoria hominum, et sermone versabitur postquam ab oculis excessit.

I. B. FRANCESIA.

## EPISTOLARE SOCIORUM COMMERCII

### Quorundam litteratorum notitiae desiderantur.

JOSEPHUS FONTS EMMANUELI JOVÉ, s. p. d.

De multis rebus, quae, ut ego quidem interpretor, lectoribus, maximam laudem et vitam *Almae Romae* sitienter expetentibus, utilitatis plurimum afferrent, iamendum te, vir optime, in quo nullum officium hominis amicissimi desiderari potest, percontari vehementer exoptabam. Aetherea nunc vesceris aura in oppido Cervariensi, in quo Disciplinarum Universitas, seu Academia, auctoritate Pontificia simul et Caesarea olim, ni fallor, condita fuit, atque ipsam famae celebritate exteris etiam gentibus esse notam, et splendorem doctrinae, ibidem traditae, angustiis cinctum esse nullis, pro certo et liquido asserere possumus. Praeterea egregios Gymnasiarchas, seu ludi moderatores atque praefectos Cancellarios, omni liberali et ingenua litteratura politissimos, de litteris scilicet optime meritos, ibi, ut soles, enituisse, in aperto est. Deinde magno scholarum numero eae scholae celebrabantur; nam ad hanc Academiam, optimam doctrinae matrem, adulescentes bis fere mille ventitare et cursitare tam certum est quam quod certissimum. Denique ex isto litterario Iudo, tamquam ex eo equo Troiano, omnis disciplinae heroes praestantissimos prodidisse, ita admodum res certa est, quae nihil habeat dubitationis.

Igitur tu, dulcissime rerum, qui, a primis aetatis tuae temporibus litterarum studiosus, iuvenes litterarum educatione imbuvis isto in Gymnasio, atque illis es ab studiis latini sermonis, aditum patet facientis ad omnes facultates, tu, inquam, verbis tuis, nihil ex agro redolentibus, illos nobis detegas, precor, viros, uberrimis artibus

praeditos, quorum concinna opera pandetasque una cum carminibus, cedro linitis et laevi servatis cupresso, vetus vestra doctaque bibliotheca abs dubio capit.

Quondam nuncium hoc accepi optatisum, quemdam Iosephum Miquel et Espoi, iuris civilis doctorem et humaniorum litterarum regium professorem, in Academia Cervariensi orationem latinam habuisse de perutili studio et perceptione Hispanicae linguae; deinde in funere illustris admodum atque amplissimi viri, D. Francisci Fuertes Piquer, Archidiaconi Maioris Almae Ilerdensis Ecclesiae et Cervariensis Academiae Cancellarii, orationem latinam habuisse ad Academiam Cervariensem, Id. April. an. MDCLXXXIX, ex Academiae decreto typis editam; denique, in funere Caroli III, Hispaniorum Regis Aug., orationem latine dixisse insigni nobilium procerum coronae. Inscriptiones olim temporis, epitaphia et encomia literarum monumentis tradita sunt.

Hanc rem ad aures admittas deprecor etiam, quam casus attulit. Quadam die versabar ego in rustica villa tecti pectinati, agrorum divite ac nemorum, in qua per noctem somnus mihi placatus contigit. Postridie illius diei, leviter ego animadvertis, repositoryum respexi librorum, pulvere quidem foedatum; me abdo in parvam bibliothecam et non depono de manibus libros, nunc membraneos, nunc scurrides; modo qui rituum et caeremoniarum rationes praescribunt et continent, modo ephemeredes, libellos famosos, indigitamenta... Moram ego, oblectatione captus, rei interpono, quum repente paginam, typis et formis aeneis exarata, et fere mustellis domesticis vel muribus rosam, manibus contrecto, in qua pagina, in admirationem raptus, haec legendo lustro: « In adventu Caroli III, Borboni, Hispanorum Regis, Mariae Ameliae Saxonicae, Hispanorum reginae, regiorumque filiorum Carmen Epicum, ad Academiam Cervarien-

sem, auctore, ex mandato Academiae, Blasio Larráz, Doct. Theol., e Societate Iesu, et Humaniorum litterarum professore».

Ad alias paginas inveniendas, nullas latebras omitto, in omnia vestigia inquiero, sed parum absuit quin periret mi sus, et talentum et nuptiae; nam paucas eheu! eiusdem generis pagellas et absque ullo ordine reperire potui, in quarum altera legi: «In funere Mariae Ameliae Saxonicae, Hispanorum reginae, ad Academiam Cervariensem, oratio habita a P. Blasio Larráz, Artium Magistro atque Doctore Theologo, e Societate Iesu, et Humaniorum Litterarum regio Professore Perpetuo». In hac pagella inscriptiones indicabantur quatuor, quae latine, graece, hebraice et hispane compositae, in quatuor frontibus regii tumuli infixae fuerant.

In altera earum paginarum legi: «De magnificentia regalium aedium Academiae Cervariensis gratulatio ad eamdem Academiam, ob absolutum perfectumque magnificentissimum eius theatrum: oratio habita a P. Blasio Larráz, etc., xv Kal. Novemb. an. M.DCC.LXII, in sollempni studiorum instauratione, recens inito Cancelarii munere a perillustri D. D. Francisco Fuertes Piquer: typis excusa ex decreto Academiae». In aliis paginis, quas mures quoque magna ex parte roserant, laborans ut strenuus mercenarius, ut bos sub iugum, ut ita dicam, haec legere vix potui: «In funere Ferdinandi VI, Regis Catholici, oratio ad Academiam Cervariensem, habita a D. Ignatio de Dov et Bassols, eq. atque I. C. Barcinonensi et Cervariensi legum ex-professore».

Constat praeterea laudatum P. Blasium alias habuisse orationes, inscriptionesque latinas, graecas et hebraicas, ab eodem P. Blasio compositas, regio, ornatus gratia, affixas fuisse tumulo. Denique etiam in ipso tempore decantatum P. Blasium Larraz poëmata latina, epigramma scilicet

et odas (asclepiadas, alcaicas, sapphicas) cecinisse satis compertum habemus.

Erga nos igitur, Emmanuel ter bone, officium hominis amantissimi et fidelem benevolentiam ostendes, si certiores nos feceris in *Alma Roma* de doctrina, eruditione et arte auctorum, quos proxime protulimus, et alios; an latine scribendi laude revera excelluerint sintque eorum scripta ingenii minime vulgaris necone; quo stylo, si plano, nitido, eleganti, florido vel sublimi, usi fuerint...

Si ad nostram te voluntatem accomedes idque adgrediaris quod a te, amice candide, tantopere efflagitamus, nihil gratius nobis facere poteris, tibique tantam habebimus gratiam, quamam maximam animus noster capere potest.

Quantum te scis diligi a me, ama nos, et vale.

Vici, apud Ausetanos x Kal. Febr. MCMXXX.

## COMMUNIA VITAE

### Tributa et Vectigalia.

— Nova tributorum descriptione constituta (indicta; edicta; praescripta; firmata; imperata; iniuncta; irrogata) imposta mihi ea vectigalia sunt, quae pendere (penitare; numerare; solvere) omnino non valeam. Quibus rationibus ea revocem? — Vectigalis sum factus; unde me eximam? — Quomodo vectigal abrumpam (tollam; quomodo e vectigali immunem me faciam; me eximam; me liberem; me vindicem) quod grave nimis viribus meis est (grave nimis se praebet; ponderosum est; quod grave incommodum mihi afferit; parit; valde importunum est; valde mihi incommodat)? — Novis hisce vectigalibus onus iusto gravius mihi est impositum (graviore sarcina sum oneratus; aequo amplius per

vim urgeor; graviori quam ut par est onere premor; opprimor; obror; conficio).

Agri mei (aedes meae) iam abunde vectigales fructuarii (fructariae) erant (tributum solvebant; pendebant; conferebant); nunc indictivum vectigal (tributaria pensio; functio; praestatio) ita adactum est, ut foenus prope omne publico (rei publicae) cedendum sit. Hoc est iura distribuere? — In regenda (tractanda; curanda; gerenda) civitate, hoc est sibi pro civibus conscientiam proponere? — Hoc est cum ratione convenire (consentire)? — Hoc est iustitiam spectare (sequi; omnia ad iustitiam referre; propositam iustitiam habere; iustitiae servire; famulari; obsequi; iustitiam colere; exercere; hic et iustitiae locus)? — Hoc est recte atque ordine iudicare (aequum et iustum iudicare; recta iudicia iudicare: aequa et recta iudicia exercere)?

Vectigal in ostia (ex ostiis; tributum ostiarium) onerosissimum impositum a municipibus est: an ignes extinctos facimus ad illud solvendum?

Tributum in capita (capitis; ex capitibus singulis) constitutum est in nostro oppido agentibus (degentibus; habitantibus; incolentibus; versantibus); et aërem igitur praesentibus nummis solvemus? — Eo devenimus, ut capitatio quoque exigatur!

Quot quantisque tributis obruimur! Maius est factum tributum ex censu, accessione addita; tributum est quoque viritim impositum; additum aes uxori; vectigalia et onera omnia imposita... Quousque tandem?

R. — Sic, amice mi, hodie vivitur (ea est hominum hodierna vita). — Ita quidem comparatum est. — Vitae nostrae haec ratio apprime comparata est! Tu tamen rem dicendo amplificas (verbis auges; sententiis exaggeras; oratione diffundis; dilatas).

— Rem oratione sublimem tollis et maiorem facis. — Rem pluribus verbis quam ut tibi convenientat prosequeris (fusius exponis; uberior explicas); non enim revera,

in angustias es compulsus (ad incitas es redactus; tam acriter premeris).

— Iuratus tibi affirmo (iurejurando tibi policeor atque confirmo; omni asseveratione tibi confirmo) rem ita sese habere. — Ita me Deus amet (respiciat; iuvet; servet; tueatur; non deserat; non destituat) ut ego non mentior (ut vera dico). — Ita mihi a Deo omnia prospera contingent (optata eveniant). — Ita feliciter, quae opto, succedant. — Ita bene mihi sit (mihi propitius sit Deus) ut verum profero. — Ita vivam (ita diu feli- citerque vivam; ita diurna lucis usura fruar; ita sim salvis) ut vera sunt quae dixi. — Ne vivam (disperream; moriar; male mihi Deus faciat; male mihi sit) si aliter dico ac sentio (si non vere iuro; si sacramentum verum non dico).

Ut sim de bonorum possessione depulsus (deiectus; deturbatus; motus)? — Me bonis omnibus exutum (spoliatum)? — Videbo fiscum possessiones meas adire (inire)? — In bonorum meorum possessionem veniat (se ponat) fiscus?

R. — Provoca igitur ad fiscum, et ius in te perversum (violatum) comproba (rationibus confirma; argumentis stabilias). — Iniurias contra te egisse eum evincas (rationibus persuadeas). — Planum apud eum facias (perspicuum reddas; argumentis ostendas) se ab iure abiisse (discessisse). — Iura tua contra eius asseverationes tuearis (robores; solide statuas; valide constituas; egregie stabilias; obfirmes).

Discrepantium (dissentionem; controversiam) inter te et fiscum componere (conciliare; ad concordiam adducere) studeas (coneris).

Quid si fiscum rogaveris, ut pecuniae diem saltem tibi proferat (laxet; ampliorem reddat; concedat; laxiorem indulgeat)?

— Nosti fiscum! Die elapsa quam omnibus eamdem constituit, muletas addit, sequestro immobiles res ponit (deponit; sequestro mandat; sequestro committit); pignoratur supellectilem (captis pignori-


bus sibi cavet; aufert pignora): omnia deinde sub hastam subiicit (super omnia hastam ponit) et vel minutum vendit (membratim divendit; particulatim distrahit; per partes venundat).

— Atqui certe mihi dependendum non est quod non ego possideo, neque pro te spondere possum. — Pro te solvere non teneor (non satisfacere debo). — Mea non est fisci obaeratio, mea non solutio. — Ad te pertinet (spectat) ex ista aqua te emergere (e salebroso, scopulo suo hoc loco enavigare).

Suum quisque habet suis rebus (rationibus) prospicere (providere; cavere; consulere; suas res curare; procurare; agere; administrare; sua negotia gerere; rerum suarum curam sustinere). — Proprium cuiusque est suis rebus vacare (operam dare; praestare; tribuere; suis rebus assidue invigilare); — Nemo quam ex sese quisque melius incommodis suis mederi (providere; occurrere; remedii subvenire; medicinam reperire) potest. Ipse itaque remedium praesens (operae praesentis remedium) huic tuo vulneri quaeras et adhibeas (afferas; facias). — Virtute ipsa tua deturbatas res instaures (restituas; meliorem in statum revoces; redigas; in integrum reducas, restituas).

(Ad proximum numerum).

I. F.



## AD SANITATEM TUENDAM

**Aphorismi sive praecepta medendi generalia ex pluribus casibus particularibus abstracta, ex variis auctoribus collecta.<sup>1</sup>**

§ 247. — Asthma convulsivum sit a convulsione muscularum thoracis, aut diafragmatis, aut fibrarum carnearum pulmonibus intermixtarum.

<sup>1</sup> Cfr. fasc. sup.

§ 248. — Colicam convulsivam non a frigidis intestinorum humoribus, secundum antiquos, sed a convulsione et irritatione nervorum mesenterii provenire, primus detexit FERNELIUS (6, *Patholog.*, 10), eamque purgantibus, clysteribus, calidisque remedii magis exacerbari, mitescere contra antinervinis, dulcificantibus et mere anodynis.

§ 249. — BAGLIVIUS vehementer hortatur medicos, ut aegros suos sedulo examinent de causa *procathartica*, quae internum ad actum provocavit.

§ 250. — Ait BAGLIVIUS dispositionum internarum occultarum indolem vix detegi posse; ex ante acta tamen vita, et ex rerum non naturalium usu aut abusu divinare poterimus generalitatem quamdam talium dispositionum.

§ 251. — Lingua prae ceteris scilicet indicat intimorem morbos sanguinis statum. Si acidus sapo in ea redundaverit, acidum sanguinis, vel aliorum humorum ab eodem derivatorum constitutionem manifestabit. Si salsus salsam, si amarus amaram, si viscidus, mucosus et insipidus talium partium copiam: si humida humidam, si sicca siccam et inflammatoriam diathesin. Deum pro seculo tibi sit lector, me certiorem de sanguinis statu indaginem aliunde non hauirire, quam ex lingua: re: iqua enim signa frequenter fallunt; haec aut nunquam, aut raro. Cave igitur ne discedas ab aegro in cuiuscumque morbi curatione, nisi prius linguam insperieris; praesertim si de internis inflammationibus suspicio fuerit, quas tibi certissime explorabit lingua, utpote quae in minima inflammationum suspicione statim resiccati incipit, et crescente inflammatione, crescit pariter et siccitas linguae.

§ 252. — WEPFERS (*Exercit. de apoplex.*, fol. 429) ait se in cadaveribus febri continua extinxitorum aliquoties, nonnunquam et in malignis, sanguinem fluidum, nec post mortem coagulabilem observasse. —

SIMON PAULI (*De febrib. malignis*, § 2) notat sanguinem phlebotomia emissum maxime rubicundum, ex colore proxime accedentem ad colorem floris cardinalitii, sive Trachelii iudici, nec non paucum perfusum sero se pluries in aegrotantibus observasse, qui cum tali sanguine semper de vita periclitabantur (BAGLIVIUS et HUXHAM). Hoc idem in peste a plurimis notatum esse, testantur historiae recentiorum.

§ 253. — Nemo curationem febrium feliciter absolvere poterit, nisi, ante quaelibet adhibita remedia, certior factus fuerit de statu sanguinis febrentis, scilicet an sit nimium concitatus, tenuis, inflammabilis, etc. (id est an adsit dispositio sanguinis phlogistica) vel contra coagulabilis, lentus, malignus, etc.

§ 254. — Cura intermittentium optime peragit solventibus, id est roborantibus salinis, et leniter alvum moventibus. Nocent mucillaginosa, mere aquosa, purgantia fortiora, venae sectiones. Hinc optime convenit decoctum gramin., tarax., cichorum oxymelle, roob sambuci et sale medio. Neutrum seorsum sufficit. (STOLL.).

§ 255. — In febribus intermittentibus praestant sumnopere amara, acria, liscivo-alcalina. Amara haec calidaque materiam febrilem altius impingerent, nisi ter, quaterve per diem alvus moveatur. Alvum autem moventia etc., sine amaris calidisque debilitando nocerent. (STOLL.).

§ 256. — In plurimis febribus diuturnis ac chronicis nonnullis morbis magnam asserunt utilitatem medicamenta quaedam austero-amara, de genere sere adstringentium, uti sunt *chinchina*, *tomentilla*, *radix pentaphyliae*, *alumen crudum*, *chalybeata*, *cortex fraxini*, *medicamenta vitriolico-martialia*, aliaque huius generis, quae adstringendo operantur. Haec enim mala ab elanguido solidorum fluidorumque tono, non autem a decantata viscerum obstructione pendent.

§ 257. — Multiplici experientia didici (ait BAGLIVIUS) colicas convulsivas pertinacissimas et veluti ab orgasmo spirituum productas, post venae sectionem institutam et remedia anodyna maxime diluta, brevi ac feliciter sanari.

§ 258. — Ubi sudor necessarius est et irritis quibusvis remedii non erumpit, mitte sanguinem, et statim erumpet.

§ 259. — Morbi a strangulatione, sive, ut ita dicam, arctatione humorum, aut spirituum in aliqua parte, nullis aliis remedii adeo facile solubiles, quam per sanguinis missionem, in loco affecto, vel proximi institutam. Ita BAGLIVIUS.

§ 260. — Arthritis facile mutatur in colicam. Omnes calculosi facile fiunt hysterici. Ex scabie retropulsa, vel male curata, quamplures infasti morbi proveniunt, uti sunt: sputum sanguinis, apoplexia, hydrops, febres longae, etc. Scabies, quartenario superveniens, bonum.

§ 261. — Apoplexia *pituitosa* correpti facile pallescunt, gravissimo sopore coripiuntur, pulsus habent exiles. Vomitorii purgantibus optime cedunt; a sanguinis missione ingravescent. Contra, in *sanguinea*, rubore suffunditur facies, vasa sanguifera capitis maxime turgent, sopores non sunt vehementes, nec pulsus adeo exilis, etc.

§ 262. — In colica biliosa contingit saepissime aphonia, et vox rauca, duratque interdum per totum morbi decursum.

Haec eadem vox rauca observatur pariter in febribus a bile ortis: quamobrem arguere mente possumus raucas huiusmodi voces et aphorias in acutis et similibus morbis subindicare nobis causam proximam illorum pendere a bile, sive partibus acribus, volatilibus, sulphureisque. Ista aphonia solet non raro esse produmus convolutionum epilepticarum in colica.

(Ad proximum numerum).

I. FAM.

## ANNALES

## Conventus.

Novi anni initium politicos conventus plures congregatos vident. Atque primum, die ii mens. Ianuarii, Hagensem, cui munus erat prosequendi atque concludendi opera, mense Augusto MCMXXIX incopta, ad stabilienda demum damna a bello allata, et iuxta rationes resarcienda, quas Americanus vir Young proposuit, ac peritorum collegium longe lateque et cum omni diligentia perpendit. Coetus nunc congregatus in duas partes variarum nationum legatos divisit: altera ut Germanorum damna, altera ut aliorum recognosceret. Omnia optime in promptu erant, quum alter a Germanicis legatis Scacht, qui maximam pecuniae summam, cuiusdam nummariae suae mensae nomine, ad omnium nationum communem nummariam mensam ad rem constituendam, Germanorum in vadimonium sese apportaturum promiserat, a data tide se eximere conatus est, una vel altera causa interposita. Tantusne labor igitur in vanum caderet? Tum vero civilis Germanici gubernii prudentia et gravitas apparuerunt: lege enim ad rem subito lata, qua cavebatur ut nummaria Germanorum mensa quaque iuxta opes suas civitatis tributum ferret, effectum est, ut non pactio, sed Scachtianae artes irritae evaderent.

Ita fieri potuit, ut reliquae de Germanico aere alieno difficultates componerentur, et etiam de orientalibus refectionibus omnium consensus attingeretur.

Interim Genevam conveniebat Societas Nationum supremum consilium eo praesertim fine, ut coetus ex diversarum civitatum legatis constitueretur, qui inquireret in immutationes oportunas Societas Nationum statutis afferendas, ut haec cum Parisiensi pactione componere-

tur, quo potentior atque efficacior actio Societas ipsius fiat.

Tertius denique navalis Londinensis conventus fuit, ad limites, ut iam alias diximus, navalibus copiis singularum nationum imponendos. Diximus quoque idque in superiore eventuum recensione nostra - hunc non satis bonis auspiciis advenire. Res vero aliquantulum conversae sunt: tum enim Georgius rex, qui in aditiali oratione quam legatis habuit, iter quasi metae indigitavit; tum singuli legati qui in suis declarationibus professi sunt eam libenter sequuturos, spei praebent argumentum fore ut, quavis simultate deposita, hic quoque unanimis consensus sequatur.

\*\*

## Pontificiae litterae de Christiana iuvenum institutione.

SS. D. N. Pius PP. XI, singulis usitatis maxime sermonibus, encyclicas litteras dedit de Christiana iuvenum institutione. Monumentum Pontificiae sapientiae novum hoc confirmat iterumque sanctitatem christiana doctrinae in arguento leges: supereminenti ratione, Dei mandato, iuvenum institutio Ecclesiae res est, dein patrum; civilia gubernia tueri ac promovere debent institutricem Ecclesiae operam; non quidem eam rapere aut supplantare.

\*\*

## Ex Hispania.

Primus de Rivera ille dux, qui sex iam annos fortiter Hispaniae gubernium tenuit, a munere cum suorum administratorum collegio sese abdicavit. Ei rex Damasum Berrenguer, militiae magistrum, sufficit.

POPPLICOLA.

## VARIA

Urbs Neapolis, et quae circum.<sup>1</sup>

Prima cernitur in ipso crateris aditu ad plagam aquilonarem Neapolis, urbs regnum prope aemulatrix, numero civium inter Italos facile maxima, opportunitate mercium nobilis. Europae totius emporium, amoenitate situs Bizantio non absimilis, quippe mare procurrens et alluentes undas complectitur bis lunata in semicirculum... Latere in campos excurrit; fronte iugis attollitur, corona collum cincta, et, si fas est dicere, Tyrreni maris regina. Vesuvium a laeva prospicit imminentem tantae urbi, spectaturum et spectandum. Inde inter beneficia cetera dulces manant aquae, quae partim obstrictae in rivos, atque in regios aquae ductus infusae, ad urbanos puteos fontesque magna copia derivantur, potu perbenignae ac salubres; partim labuntur in fluvium, qui ad Vesuvii pedes latissimos campos tortuosis flexibus ambiens mira fertilitate perfundit; atque hinc inde arboribus inumbratus, levi et vix sub aures cadente murmure, lapsuque placidissimo aquas in vicinum mare demittit. Amnis quidem perexiguus, et impartanto monti progenies, sed poëtarum carminibus et Sebethi nomine celebris, forma maior, quam alveo. Non procul hinc ad Vesuvii radices, frequentibus pagis castellisque conspersas, celeberrima oppida Herculanum et Pompeii pene dixeram sedent, deceptus recenti memoria pristinae felicitatis. Dicendum potius: iam sederunt, deserunt; nunc vana nomina, et nihil praeter cinerem ac ruinas, documenta posteris urbes quoque esse mortales. Inde, qua litus reflectitur ad meridiem, visuntur antiquae Stabiae, seu potius umbrae antiquarum. Secundum has, aestivae deliciae, Surren-

tum, cui brevi spatio iungitur Massa Lubrensis, pervetusta Minervae sedes, a qua promontorium appellationem accepit.

Hinc angustissimo ac procelloso freto direpta Capreae, insula Tiberii dominicio, qui urbem Seiano dilacerandam derat, non tam nobilis, quam infamis, nempe flagitorum latebra. Haec in astrum obversa, in altissimam rupem se attollens, certare videtur culmine cum Vesuvio, quem recta prospectat e mari, sed aspectu ipso humilior deprehenditur, et infra Vesuvium iugum.

\*\*

De leone fabellae.<sup>1</sup>

## LEO LECTORES SUOS SALUTAT.

*Impono tandem finem de me laudibus,  
Nimis ne videar loquax lectoribus.  
Me dicunt passim signum fortitudinis,  
Ita me neutquam decet verbositas;  
Ipsa cum vitium sit potius vetulae,  
Modo quae verbis nititur perpetuis.  
Nota doctorum dicitur silentium;  
Silentes magis nam doctrinam simulant;  
Loquuntur parce docti cum dulcedine.  
En opus ultimum raptim quod adgredior.  
Nonnulli historici, mea modestia,  
Viris clarissimis, me fecere socium,  
Ut quid honoris illis sic adiungerem!  
Quanta me contra cumularunt gloria!  
Dicam de paucis, fugiens et breviter.  
Comes fui diu, vindicta Hieronymi,  
Suo qui viguit sanctitate tempore,  
Et in Scripturis Sanctis pulcre caluit.  
Leo nam saepius Doctorem Maximum  
Suis eripuit, vindicavit hostibus,  
Nunc rugiens ferox, nunc ipsis unguibus.  
Deus leonem sic laudari voluit!*

<sup>1</sup> Cfr. fasc. mens. Octobr. MCMXXIX. Ignotus usque hodie harum fabularum scriptor fuit I. B. Francesca noster desideratissimus. Vere, heu! facetae et perurbaneae orationi suea nobisque extremam salutationem dicere hac fabella videtur!

<sup>1</sup> Ex opere P. RECUPITI, *de Vesuvio*.

*At nunquam clarior, seclis labentibus,  
Super quam fluctibus fuit cum Venetis.  
Ferebam fidem Venetum, potentiam,  
Meique ductu, Marci cum consilio,  
Crucis vexillum fulsit illuc denuo.  
Eram sic omen, super fluctu volitans,  
Prius non visum gentes apud veteres.  
Olim Romani quo victores tulerant  
Vexilla et leges dederant nationibus,  
Adveni victor, territavi Barbaros.  
Quis me potentior, quis generosior?  
Si contra Turcas, animis hostilibus,  
Pugnavi rugiens, usque ad interitum,  
Vires amisi, spiritumque perdidii,  
Quando contra adivi Genuenses impotens.  
Eos nonnunquam si fugavi pelagis,  
Me vicit semper improba moestitia!  
Tulit quis Marcum hostem cum Georgio?  
Sed annis plurimis, tristi sub custodia,  
Meam lui poenam forte pro fratribus,  
Fregi quos nimis latam post victoriam!  
Quis aerumnarum seriem nunc memoret,  
Cum late rerum rideat felicitas?  
In hisce positus pacis littoribus,  
Laetus Leo a vobis postulabo veniam,  
Et gratias ago maximas et habeo  
Vestra diuturna pro benevolentia.*

\*\*

### Pro iudicibus mensarum elegan- tibus.

ESCARUM ORDO:

*Iecur polentinum vernaculum.  
Asparagi silvestres cum spumati ovi  
intinctu.  
Turdi saxatiles veru assi.  
Acetaria ex tritis lactucis.  
Scribilita de nucibus.*

\*\*

### Locosa.

*Ebrius quidam umbellae, quae ex eius  
manibus in terram cecidit:  
— Si te abiectam tollam, ipse cadam;  
si cecidero, non tu me tolles; ergo illuc  
mane!*

Tuccii mater marito:  
— Necesse est ut medicum arcessas:  
Tuccius enim grave hemicranium que-  
ritur.  
— Babae! quoties hunc morbum non  
est conquestus?  
— Insimulavit quidem; sed non feriatis  
diebus!

\*\*

### Aenigmata.


I

In ripis crescents quatuor spiramine venti;  
Me pescator eget; me quoque pastor amat.  
Littera mutatur? Fio praenuntia veris,  
Et celsa luteos sub trabe fingo lares.  
Littera de medio aufertur? Mora nulla; pa-  
[ratus  
Sanguineos succos ducere vermis adest.

II

Vocula, quae primam dat partem, mittere iure  
Si quem tu debes, est adhibenda tibi.  
Urbs prope, quod sequitur, Poenos; aut par-  
[vula quamvis,  
Serpens, quae praesens virus in ore tenet.  
E genere, o lector, demum viridantium utras-  
[que  
Si partes iungas, indica gemma patet.

Aenigmata in superiore fasciculo pro-  
posita his respondent: 1) *P-rex*; 2) *Ius-tus*.



### LIBRORUM RECENSIO

ALOISII TABERINI, *Carmina* (cfr. ALMA ROMA,  
mens. Oct. MCMXXIX, pag. 169).

Carmina haec, quae sub uno titulo con-  
globavimus, passim et varia occasione edita  
sunt. Auctor, ut istis experimentis satis eluet,  
raro sublimis se attollit, immo frequenter  
radit humum et sententiarum exilitate et ver-  
borum usu plerumque vulgari. Non enim

satis est verba ita collocare ut versum effi-  
cient et syllabarum spatia inter se aptis legi-  
bus vinciantur: non in ictu tantum et quan-  
titate inest poësis quae blande ad aures  
descendat animosque demulcat; sed aliae  
occurrunt virtutes, in quibus omnibus, amice  
mireque conspirantibus, illud nititur quod,  
poëtica facultate atque ingenio expressum,  
cuique probatur, dummodo ne sit aversus a  
Musis.

Taberini specimina, non dicam, poëticò  
spiritu carent, quum nonnulla insint quae in  
spem inducant fore ut is, studio et exercita-  
tione emendatus ac perpolitus, bonus poëta  
evadat; sed rarissime illud attingunt culmen,  
in quo aures animique commode acquiescent.  
Sine dubio Taberini in numeris alcaicis tra-  
ctandis quandam exhibet peritiam, quippe  
qui frequentius iis utatur. At quam pauci  
sunt versus arte confecti, sententiarum et  
verborum veneribus ornati, et in quibus nihil  
desiderari possit! Si numeros tollis, soluta ac  
prorsus nuda erit oratio.

In versu autem heroico saepe is claudiat  
et fallitur, ut in his exemplis:

De variis pugnae vicibus disserere certant:  
Et viva interdum reprobare severa nepotum.

Adde quod ipsa fabella, qua carmen inten-  
xit, tenuissima res est: nihil enim habet  
quod vocem attollat, nihil quod sonum si-  
milem corrigat aut immutet. Quin etiam is  
est verborum ambitus, ut prosam, non nu-  
meros, legere videaris; et — quod gravius  
est —, versus integri, sive hemistichia, aliunde  
deprompti, hinc passim inserti apparent, ut  
iure dicas carmen ex variis partibus constans  
vermiculatum quoddam opus efficere.

Liceat poëtam admonere — nec nobis id  
suadentibus irascatur — ut praecepto hora-  
tiano se toleranter accommodet: quidquid  
enim versibus vult dicere, in scrinio diu teneat  
inclusum: tunc vero edat, quando bene ad  
unguem castigaverit.

Quod aequi bonique faciat.

M. GALDI.

### Libri dono accepti.

GENNARO ASPRENO ROCCO, *Carmi latini*  
*editi ed inediti scelti e pubblicati con un*  
*saggio introduttivo su l'autore a cura di*  
*NUNZIO COPPOLA.* — Ex off. editr. « Dante  
Alighieri » in Civitate Castelli, 1929 (Ven.  
lib. 25).

NAZARENUS CAPO, *Carmina selecta, Solu-  
tae orationis exempla et Frustula varia. Cry-  
ptae-ferratae, ex schola typ. Italo-Orientali  
a S. Nilo nuncupata, MCMXXIX* — (Ven. lib. 8).

FRANCISCI BRIGANTI, *Iuveniles ludi.* — Ro-  
mae, ex off. Augustiniana, MCMXXIX.

P. REG. GARRIGOU-LAGRANGE, O. P., *In  
Memoriam. Un Théologien Apôtre: Le Père  
Maitre Eduard Hugon.* — Romae, apud Col-  
legium Angelicum; Parisiis apud P. Tequi  
editorem, 1929.

D. N. NIEUWLAND, M. TSCHOFFER, *La Leg-  
genda dei Franchi Tiratori di Dinaut.* Ri-  
sposta alla Memoria del Sig. Prof. Meurer  
dell'Università di Wurzbourg. — Traduzione  
dal francese. — Gembloux in Belgica, edid.  
off. J. Duculot, 1929.

ANGELO MORELLI, *Tantalo nuovo (Car-  
mina italica).* — Venetiis, ex off. Pietrobon  
et Soc. — (Ven. lib. 3).

M. FUSCUS, *Leoni XIII quinto lustro elas-  
po ab eius obitu.* — Casertae, ex off. H. Ma-  
rino, MCMXXIX.

ID. Pio XI annum emenso quinquagesi-  
num ab inito Sacerdotio. — Indidem.

G. GARAVANI, *Lumina et oscula. Carmen  
lorensi certamine laude ornatum.*

Buon anno 1930! Almanacco delle fami-  
glie. — Augustae Taurinorum et Romae, ex  
off. editrice Marietti (Ven. lib. 3).

IMPRIMATUR

Fr. A. ZAMPINI, Ep. Porphyreonen.,  
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS



## AD SEPULCRUM

ACTIO DRAMATICA I. B. FRANCESIA VERSIBUS SENARIIS CONSCRIPTA

## SCENA II.

SATANAS (*qui introgreditur caute*).

SATANAS (*ad Petrum*) Cur tam curiosus  
Ad illud montis tu cacumen conspicis?  
PETR. Venis tu forsitan, bone, tam peregre,  
Qui nescios Solymis quot venere pro-

xime?]

SAT. Quid autem sciam, vis, longe cum ve-

[nerim?

PETR. Homo, qui clarus venerat de Nazareth...  
SAT. Fuit dominatus a Praetore Pontio,

Toto admidente Iudeorum populo.

PETR. Falsis sed testibus, perversis legibus...  
SAT. Ab ipsis Scribis ductus, sacerdotibus,

Ab uno ipsis traditur discipulo...

Imo relictus suis a discipulis,

Fuit tristis saeculis cunctis spectaculum.

PETR. Magister omnia dixerat per ordinem,  
Priusquam perfidi ferrent ad Golgotam.

Enim tradendum dedidit se gentibus.

SAT. Quam recte narras cuncta quae com-

[posui!

Eras Magistri forte tu discipulus?

At, at... Non fallor! Oh felix occasio!

Te vidi, audivi triumphantem saepius,

Vel a Bethsaida!... Nam, relictis retibus,

Eum secutus es, victoriae cupidus!

Dabat mercedem, plurimam promise-

[rat...]

Prius, si multus labor, semper parvuli

Erant sed pisces... Postea quot prandia

Erant tibi! Obsonia palato dulcia,

Vitellae iura, bubulaeque sargines...

Enim quid tibi cecidisset melius?

Eum secutus es magno pro munere.

At, at, cum primum te tempestas ingruit,

Oblitus subito recepti muneris,

Fugisti...

PETR. Acerbis plagis plectis merito  
Me, qui Magistrum denegavi turpiter!

Q. MAR. 40

SAT. Tun' ille Petrus qui peccavit? Optime!

E prorsus caelis cecidisti apostolus!

Ille inter principes Te collocaverat;

Erat caelestium claves pollicitus

Et infernum, propter abundantiam,

Modo fuisses si praecepsis deditus.

Cur at negasti vel Magistrum noscere?

Tuis haec claves ceciderunt manibus!

Vah! summum decus! Vah! magistri

[gloria!

Quid amplius, dic, tibi quid fecerit?

Nimis sed gratus tantis pro muniberis,

Eum negasti nosse coram populo!

Sed omni laude dignum quod colle-

[gium!

Magister ille cunctis nobilissimus,

Alumnos legit cunctis scelestissimos.

Iudam secutus, criminis tu socius,

Sequi nec pigeat vel in supplicio.

En ille, poenam tulit qui flagitii!<sup>1</sup>

PETR. Magnum me patrasse flagitium fateor,

Et acri stimulo conscientiae crucior!

Ab Ipso spero secuturum veniam!

SAT. Nequaquam! Frustra!

PETR. Sed Ipse hoc desiderat!

Exempla Patris nobis est pollicitus,

Novi magistri pectoris dulcedinem.

SAT. Miser, tu deliras! Speras sed perperam!

Ille cum primum periit languoribus,

Et exspiravit funebris ad Golgotam,

Eius simul cito nomen disparuit.

PETR. Sed usque praesens vultus est dulcis-

[simus,

Eumque deprecor!

SAT. Tace, sis, stultiloque!

Est namque mortuus.

PETR. Resurgam! dixerat.

SAT. Vos, vos fefellit! Vos seduxit simplices!

(Ad proximum numerum).

<sup>1</sup> Signat Iudam laqueo suspensum haud longe. Pausat.